

distincte petiolulata, non decurrentia, late elliptico-lanceolata, in formam ovatam aut obovatam inclinantia; subtus sat crebre pubescentia, discoloria, sed non glauca.

Observ. *P. hybrida* Pallas Fl. Ross. 1784 tab. 86 est planta hortensis, apparenter hybrida, semina matura numquam perficiens, facie *P. tenuifoliae*, sed laciniis foliorum duplo latioribus, plerumque 1 lin., flore pedunculato cernuo. Serius Pallas (1795) pro Tauria indicavit, M. Bieberstein 1808 prope Staupopolin legit. Fischer e seminibus immutatam educavit. Tamen Decandolle 1818 et Steven pro varietate latifolia *P. tenuifoliae* habent, in Tauria rarissime obvia. Mihi taurica ignota, vidi autem specc. in herb. M. Bieberstein e promont. sept. Caucasi, inprimis circa Staupopolin! fl. Majo (*P. hybrida* M. Bieb. n. 1044 et Suppl.), quae ab icone *P. hybridae* diversa sunt: flore sessili erecto, petalis 9 lin. et minoribus, laciniis foliorum duplo, in fructifera triplo latioribus minus acuminatis; carpella 2 hirsuta (pilis longis in sicco fulvis), majora licet immatura, ovata sensim attenuata et recurvata, 9—10 lin. longa, a basi jam divaricata, hinc diversa ab illis *P. tenuifoliae* subglobosis maturis semipollicaribus, propter formam abbreviatam saepe erecto-patentibus. Haec igitur jam satis diversa, nomine *P. Biebersteinianae* segreganda, propter defectum *P. triternatae* vel alius speciei hybrida esse nequit. Godet in Catalog. pl. Beschtou apud Dubois IV (1841) p. 537 *P. hybridam* Pallas in monte Lissaja Gora indicat et huc citat *P. multifidam* Güld. (II, 19, 33) observatam 1773 pr. Pjätigorsk in m. Baralyk 22 Jun. et in campis elevatis ad fl. Kalas (circa Stawropol) 12 Jul. Videndum tamen, anne sit *P. tenuifolia* 18 Junio ej. a. (Güld. herb.). Dubiis quoque premitur *P. hybrida* Eichwald II (1833) p. 20, ad fl. Ksani pr. Muchran cum Adonide vernali 29 April. ubique florens; l. c. p. 23 *P. corallina* Retzii ex Iberia et Colchide citatur.

B E R B E R I D E A E.

Berberis vulgaris Clus.

In regione sylvatico-rupestri et montana per omnem fere Caucasum magnum frequens, praecipue in apricis ad vias et ripas torrentium, altit. 800—900, rarius 1000—1100 hex., ad 400 hex., descendens secus fluvios Ksani, Sündsha, Terek et al. in planitiem usque; etiam in promontorio circa Pjätigorsk. Floret toto mense Majo, initio Junii saepe deflorata; fruct. mat. ab initio Aug. in hyemem usque persistunt.

Spec. Frequens in dumetis promontor., sed frequentior in alveis glareosis torrentium caucasicorum facile omnium, in alpes sat alte adscendens; ad Terek fl. vix ultra Tscherwlenowa descendit (Güld. mss. 192 et n. 302, edit. partim in Pallas Fl. Ross. 1788); per omnem Caucasum copiose (M. Bieb. I n. 707). Promont. occid. in m. Baralyk 22 Jun. 1773 et 9 Jul. ad pedem m. Maschuka et ripas fl. Kuma (Güld. II, 19, 28) alt. 400—500